



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola IV. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

## EPISTOLA IV.

E I D E M.

**C**arissime Frater : mirum quantum gavi-  
sus sum cognitâ profectioe tuâ ad in-  
visendos Christianos sparsim habitantes, quos  
tibi commendaveram : multò autem magis  
gaudeo, isthinc huc venientium sermonibus  
intelligens fructum ingentem qui ex tuâ istâ  
lustratione, Animarum & Ecclesiæ lucris ac-  
crescit. Expectabam hodiè aut cras manè à  
Prætore nuncium. Is si erit qualem spero,  
non differam adventum isthuc meum, desle-  
stamque de viâ eo itinere, ut te ubicumque  
peregrinaris obiter conveniam. cupio enim  
incredibiliter videre te, quantumvis in spi-  
ritu te semper intueor. Ioannes de Artiaga  
discessit à me, turbidis quibusdam ejus ani-  
mum inquietantibus cogitationibus abreptus,  
à malo, quantum apparet, Spiritu suggestis.  
Sed hoc ipse nec agnoscit; nec viam inis  
ejus notitiæ assequendæ. Aiebat, me relin-  
quens, irurum se Combuture, ut istum po-  
pulum erudiat. Addebatque spectare se vi-  
ciniam tui in talis delectu loci parùm di-

stantis ab eo ubi tu degis. Sic fortè tunc voluit. sit ne perseveraturus in isto proposito, nescio. nosti enim quàm sit homo instabilis, & ad omnem auram mobilis. utcumque est, si te accesserit, haut putarim operæ pretium longis te cum eo colloquijs tempus absumere. Scripsi Præfecto ut tibi subministret necessaria. Rogavi etiam Manuëlem à Cruce ut tibi pecuniam commo- det quoties egebis. idque hic se libentissimè facturum, perofficiosè recepit. Cura diligenter tuam valetudinem, quando ea instrumentum tibi est ad tam insigniter Deo Domino Nostro serviendum. Matthæo dices: Velle omnino me ut tibi obsequatur, & diligenter in omnibus obtemperet. Adeoque sic habeat: ita demùm, quod sæpe promisi, futurum me illi vice Patris & Matris, si se tibi probaverit. alioqui nisi eum perfectè morigerum expertus testaberis, haud esse causam putabo cur eum magnoperè curare, & ejus prospicere utilitatibus tanti ducam. Te vicissim volo suppeditare ipsi liberaliter quibus ad vestitum indiget. In istâ in quâ versaris concursatione Pagorum sic velim te geras. quemcumque in locum adveneris, ejus loci viros cunctos unâ die coire

coïre unum in conventum jube: alio die  
 universas simul foeminas, utrosque docebis  
 quæ damno suo ignorant. nec satis habeas,  
 illo in cœtu reddere ipsos memoriter Oratio-  
 nes quas ex usu Ecclesiæ Christiani omnes  
 mente tenent: sed easdem ut in suis quique  
 domibus, manè præsertim ac vespere, ite-  
 rent, cura præterea, & commenda diligen-  
 ter. Baptizabis etiam nondum salutari lava-  
 cro tinctos, adultos juxtà parvulosque. Inter  
 quæ ne tibi placeas in fructu obvio, sic te-  
 cum reputa: si quid bonæ frugis moletri-  
 nâ elaboretur, totam ejus in solidum lau-  
 dem esse Magni Molitoris & Domini, qui  
 aquam affundit unde mola versatur, & tota  
 incitatur ac viget machina. Deus Dominus  
 Noster custodiâ te suâ regat, & auxilio adju-  
 vet. Vale. Manapare vi. Idus Apriles An-  
 no CXCIXLIV.

Tuus Amantissimus in Christo Frater.

*Franciscus.*